

Kreis einfurt

[5] 250

5 250

1174.

Bischof Hermann II. von Münster überträgt dem Kloster Vietmarchen ein ihm
reigniertes Lehen in Nordlohne und Mittellohne, Käppl. Schepsdorf, Kr. Lingen.

In nomine sancte et individue Trinitatis: Patris et Filii et Spiritus Sancti.
Quia de variis hominum disceptationibus graves persepe nasci videmus questio-
nes, in quibus, dum sententiarum ventilatur varietas, manifeste veritatis
candor denigratur et falsitatis turpitudini fucati decoris pulcritudo inducitur,
proinde et mater nostra sancta Dei ecclesia, dum a multis sibi malignantibus
laceratur, perpetuam nuditatem consequitur. Adeo enim humane perversitatis
latis iam evagatur spaci malignitas, ut nonnulli hominum vim iusticie
preferentes aliena sibi quocumque modo usurpent: tanta utique mentes ipsorum
inexplete cupiditatis involvit cecitas. Qua consideratione ego Herimannus,
Dei gratia Monasteriensis ecclesie humilis minister et indignus, beneficium
Walthardi de Gethinchorpe in Nortlon et Methelon situm, quod in manum
nostram libere reddidit, ecclesie, que dicitur Novale sancte Marie, id est
Sanctemarienroth, libera tradicione contulimus eo utique iure, ut si forte
conventus idem in alium locum translatus fuerit, eadem bona eidem con-
ventui non minus adtineant. Quod ut inconvolsum de cetero permaneat,
sigilli nostri impressione roboravimus. Si vero aliquis id infringere conatus
fuerit et perseveraverit, in perpetuum anathema sit. Facta sunt hec anno
dominice incarnationis M^oc^olxx^om^o, inductione VII^a, regnante gloriosissimo
Romanorum imperatore Friderico. Cuius rei testes sunt: Bernhardus pre-
positus, Engelbertus decanus, Franco vicedominus, Bernhardus canonicus,
Engelbertus canonicus, Herimannus canonicus; laici Rudolfus de Steinvurte,
Cunradus de Wetheringen, Lupertus de Beveren, Albertus Dapifer, Lupertus
de Tuschusen, Elvericus de Buren.

Orig. Siegel ab. IX. Rep. I. 26.